

Opstraet statuere quomodò aut quantum Deus Ecclesiæ providere debuerit. Solam enim rationem si consulamus, facillè nobis persuadebit, non Pontificem duntaxat Rom. sed et singulos Episcopos erroris periculo eximendos fuisse, ut Ecclesiæ bono satis consuleretur. Hoc solum ex Scriptura et Traditione cognoscimus, à Deo Ecclesiæ consultum iri, quantum satis est ut adversus eam non prævaleant portæ inferi, ad salutemque perveniant omnes electi. Utrumque autem fieri potest, quamvis infallibilis non sit Rom. Pontifex. Si quem enim in fide aut moribus errorem toti Ecclesiæ proponeret, certum est huic nunquam consensuram esse universam Ecclesiam, sed Pontifici fortiter resisteret, ideoque seductionem effugere possent electi. Præterea si Deus Ecclesiæ non satis providere potuit, nisi Rom. Pontificem ab omni circa fidem et mores erroris periculo liberaverit, curare etiam debuisset, ut certò constaret illud privilegium, alioqui nihil profuturum: atqui id non fecit Deus; ergo Ecclesiæ satis providit, quamvis Papæ non concesserit ab omni circa fidem errore immunitatem.

Inst. Nisi Rom. Pontifex sit infallibilis, per totum tempus quo non celebrabitur Concilium generale, nullum erit tribunal ad quod certò recurri possit in dubiis: atqui tunc Ecclesiæ Deus non satis providisset; priusquam enim Synodus congregetur, urgere posset necessitas aut aliquem errorem damnandi, aut veritatem definiendi; ergo Deus Ecclesiæ suæ defuisset, nisi Papa foret infallibilis.

Resp. Neg. maj. Semper enim exhibet Ecclesia ad quam recurri possit, etiam dum in Concilio generali non est congregata. Sic, v. g. cum cœperant Lutherus et Calvinus Ecclesiæ fidem circa Eucharistiam, cultum Sanctorum aliaque dogmata impugnare, potuerunt fideles, antequam coge-

retur Synodus Tridentina, ad universam Ecclesiam per orbem diffusam sese convertere, atque ex illius sensu, Traditione et usu quid credendum esset dignoscere. Si verò, post inquisitam diligenter Ecclesiæ fidem, incertum sit quid circa quempiam articulum Ecclesia sentiat, poterunt fideles, absque ullo fidei dispendio, iudicium suum cohibere, definitionem Ecclesiæ expectare, cum sincera huic sese subjiciendi mente, statim atque innotuerit.

---

#### CAPUT IV.

*An Romani Pontificis autoritas ad res tum spirituales, tum temporales, pertineat.*

QUESTIONEM aggredimur quam, licet ex se facillimam et apertissimam, impederunt et penè obscurarunt quorundam Pontificum agendi ratio, præjudicatæ Theologorum opiniones, et falsa de rebus Theologicis iudicandi methodus; scilicet cum Romani Pontifices, jam à pluribus seculis, de terrenis aliquot Regnis, pro suo arbitrio statuere, et iis Principes spoliare non semel tentaverint, fecit innata erga summum Pontificem reverentia, ut Theologi multi in animum induerint, eum pro suo jure id egisse, et agere deinceps posse, ex facto jus æstimantes, quod pessimum fuit in rebus Theologicis exemplum. Hinc Romani Pontificis autoritatem, non ad spirituales tantum, sed etiam ad res temporales et politicas, pertinere pronuntiarunt.

Horum vero Theologorum duæ sunt classes. Alii enim docuerunt per adventum Christi, omnia Principum infidelium dominia ad Ecclesiam translata esse, et in Papa, ut in summi Regis Christi Vicario, residere: ideo putant eum posse omnium

infidelium Regna, quibus liberit, dare, cum sit verus eorum Dominus, tanquam supremus Ecclesiæ Administrator: hæc potestas vocatur *directa*. Alii verò, ut odiosam hanc opinionem emolliant, docent non posse Romanum Pontificem, pro suo libitu, de bonis temporalibus decernere, nec Reges ac Principes suis Regnis exuere, nisi cum in magnam animarum perniciem suâ potestate abutuntur, v. g. subditos cogendo fidem Catholicam ejurare, Hæresim profiteri, aut Hæresibus, earumque autoribus patrocinando; eam in res temporales autoritatem vocant *indirectam*, quia Pontifex in Regna terrena jus non habet, nisi cum potestas spiritualis, quâ donatur, exerceri liberè non potest, nec suum finem, id est, animarum salutem, assequi: *Potest*, inquit Bellarminus, *mutare Regna, et uni offerre, atque alteri conferre, tanquam summus Princeps spiritualis, si id necessarium sit ad animarum salutem.* (Lib. 5. de Rom. Pontifice. cap. 6.)

Ex utraque autem illa potestate eadem nascuntur incommoda, eadem prorsus imminent supremæ Regum autoritati pericula. Quidenim refert *directè* an *indirectè* suâ autoritate spoliari possint à Romano Pontifice, aut ab Ecclesia, Principes? Quapropter doctrinam hanc semper, et quidem meritò, detestati sunt Galli, eamque in primo celeberrimæ Declarationis ann. 1682 articulo prolegavit Clerus Gallicanus.

#### PROPOSITIO.

*Neque Romanus Pontifex, neque Ecclesia, ullam habent directam vel indirectam, in res Principum temporales, potestatem.*

Probatur 1<sup>o</sup>. ex Scriptura. Eam tantùm Petro, illius successoribus, et Ecclesiæ concessit potestatem Christus, quâ ipse, ut homo, donatus fuerat

à

à Patre, ut sic testatur: *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos.* (Joan. 20. 21.) Atquæ Christus negat se ullam à Patre potestatem temporalem accepisse. *Regnum meum, inquit, non est de hoc mundo.* (Joan. 18. 36.) Fugâ iis sese subduxit, qui eum Regem constituendi consilium ceperant. (Joan. 6. 15.) Postulanti cuidam ut jubeat fratri hereditatem cum eo dividere, asserit se rerum terrenarum judicem non esse constitutum: *Quis me constituit judicem aut divisorem super vos?* (Luc. 12. 14.)

Præterea, si quam Christus autoritatem in Principes suis Apostolis contulisset, hujus mentionem præsertim fecisset, cum ipsis prænuntiavit, fore ut Principes suâ potestate abuterentur: atqui, ne tunc quidem, concessæ ullius in Principes autoritatis meminit. Nam potestate suâ abutuntur sanè Principes, cum Religionis propagationi totis adversantur viribus; atqui tunc etiam nullam in eos autoritatem temporalem tribuit Christus Apostolis. Nèdum tunc bella concitandi, et militari modo sese, Religionemque suam defendendi jus ipsis concesserit, præcipit è contrariò ut, tamquam oves inter lupos, versentur; ut mitibus columbis similes, non nisi gemitu, patientiâ et mansuetudine pugnent. Ea sunt Christi Apostolos mittentis præcepta. (Matth. 10.)

Invicto huic argumento sic respondent nonnulli adversarii: Huic Christi mandata, inquit, Ecclesiam nascentem et infirmam spectant, non adultam et robustam, quasi verò dixisset Christus: fugite, donec viribus convalescatis; patientiam vobis præcipio, sed invalidis; vires adeptis, jam non amplius ut ovibus et columbis tolerandam quidquam vobis erit, sed leonum more sæviendum. Hæc autem nemo non videt, quàm contraria sint Apostolo, qui jubet Christianos Principibus subjici, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. (Rom. 13. 5.)

Tom. I.

B b

Denique nullam omninò Ecclesiæ Pastores auctoritatem sibi possunt in eos arrogare, qui à Deo solo suam in res temporales potestatem acceperunt, et qui solum Deum superiorem habent: atqui testatur Scriptura Principes à Deo solo, etc. *Per me Reges regnant.* (Proverb. 8. 15.) Sic Daniel Nabuchodonosor, Principem Ethnicum alloquitur: *Deus cali Regnum et . . . Imperium dedit tibi . . . et sub ditione tua universa constituit.* (Dan. 2. v. 37 et 38.) *Non est potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* (Rom. 13. v. 1 et 2.) Ergo, etc.

Prob. 2º. ex Patribus: Illi nullam in res Principum temporales auctoritatem Ecclesiæ tribuunt, qui testantur Principum potestatem à Deo solo esse et pendere: atqui sancti Patres testantur, etc. *Cujus jussu homines nascuntur, ait Irenæus, hujus jussu et Reges constituuntur.* (Lib. 5. cap. 24. n. 3.) *Nos unum Deum omnium rerum opificem, qui Valeriano et Gallieno, sacratissimis Augustis, Imperium tradidit, colimus et veneramus, ait Dionysius Alexandrinus, apud Eusebium:* (Lib. 7. cap. 11.) Atqui tamen Imperatores illi Christianos immaniter vexabant. *Christiani sciunt, ait Tertullianus, quis Imperatoribus dederit Imperium. . . . sciunt Deum esse solum, in cujus solius potestate sunt. . . . Indè est Imperator, undè et homo, antequàm Imperator; indè potestas illi, undè et spiritus.* (Apologet. cap. 36.) Et alibi, *Colimus Imperatorem ut hominem à Deo secundum, et solo Deo minorem.* (Lib. ad Scapulam. cap. 2.) *Super Imperatorem, ait Optatus, non est nisi solus Deus qui fecit Imperatorem.* (Lib. 3. contra Parmenian. n. 3.) *Deus ipse, ait Augustinus, dat Regna terrena et bonis et malis.* (Lib. 4. de civit. Dei, cap. 33.) *Non tribuamus dandi Regni atque Imperii potestatem, nisi Deo vero.* (Ibid. Lib. 5. cap. 21.)

Prob. 3º. ex Summis Pontificibus qui nullam

sibi in Principes auctoritatem temporalem competere, non semel confessi sunt. Sic. v. g. Gelasius Papa Anastasium Imperatorem alloquitur. *Duo sunt, Imperator auguste, quibus principaliter mundas hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, et Regalis potestas. . . . quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes Imperium tibi supernâ dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent Religionis Antistites.* Ad eundem Imperatorem ita scribit Symmachus Papa: *Conferamus honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste divinarum. Tu Imperator. . . . humana administras, ille tibi divina dispensat. — Quemadmodum Pontifex, ait Gregorius II, introspiciendi in Palatium potestatem non habet, ac dignitates regias deferendi, sic neque Imperator in Ecclesiâ introspiciendi, et electiones in Clero peragendi.* (Epist. 2. ad Leonem Isauricum.) Itaque, juxta laudatos Pontifices, non magis Ecclesiæ Ministris competit auctoritas in res temporales, quàm Principibus in spirituales: atqui Principibus nulla est auctoritas in res merè spirituales; ergo nec Ecclesiæ Ministris in temporales.

Prob. 4º. rationibus Theologicis. 1º. Rejicienda est opinio in cujus gratiam ne unus quidem profertur disertus Scripturæ locus, nullumque antiquæ Traditionis monumentum, et cui reclamant tota Scripturarum series, innumerique Traditionis testes: atqui se habet quam refellimus opinio, ut patet tum ex dictis, tum ex responsionibus ad objecta.

2º. Si potestatem indirectam in res Principum temporales habeat Romanus Pontifex, ubi scilicet ea ad animarum salutem necessaria est, eandem pari jure sibi vindicare poterit quisque Episcopus, in horum omnium bona temporalia, qui in cujusque Præsulis Diœcesi versantur: tum quia singuli Episcopi fidelium sibi commissorum salutem

invigilare debent; tum quia, ut ait Bellarminus, *id quod est Papa in universa Ecclesia, quilibet Episcopus est in particulari.* (Lib. 5. cap. 3. de Romano Pontif.) Atqui fictitia est in singulis Episcopis *indirecta* illa potestas; ergo et in Romano Pontifice.

3°. In rebus Theologicis sola opinionis novitas falsitatis argumentum est: atqui nova est opinio de Romanorum Pontificum *directa* vel *indirecta* potestate in Regum temporalia; siquidem hujus nullam extat in antiquitate vestigium, assignarique potest illius autor, et tempus quo nata est; et ubi primum emersit, omnium commovit animos: parentem enim habuit sæculo XI, Gregorium VII, qui Henricum IV, Henrici Imperatoris filium, ab Italiæ et Teutonum Regno, latâ in eum sententiâ, dejicere conatus est. Quod autem res tam inaudita omnium ferè animos indignatione commoverit, testis est ipse Gregorius VII. *Quotquot Latini sunt, inquit, omnes causam Henrici, præter admodum paucos, laudant ac defendunt, et per nimiam duritiâ ac impietatis erga eum me arguunt.* (Lib. 7. Epist. 3.)

4°. Novella hæc opinio perpetuus est discordiæ fomes; Sacerdotium inter et Imperium innumera suscitât bella: hoc enim expertus est Gregorius VII, prima mali labes, ex cujus facto tot mala et in ipsum, et in populum reciderunt. *Quot bella, quot bellorum discrimina inde subsequuta sunt!* *quoties misera Roma obsessa, capta, vastata!* ait Otto Frisingensis, (Chronic. Lib. 6. cap. 36.) Quanta pariter malorum seges pullulaverit, ex luctuosa agendi ratione Innocentii IV in Fredericum II Imperatorem, et Bonifacii VIII in Philippum Augustum Francorum Regem, ex historia comprobatum est. Illud etiam importat mali funesta hæc opinio, quod Principes Ethnicos, ab ea Religione amplectenda deterreat, ex qua non immeritò vereri possunt ne sua imminuantur ac-

toritas. Quam igitur sapienter Clerus Gallicanus, in sua ann. 1682 Declaratione, affirmat sententiam contrariam esse *publicæ tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiæ, quàm Imperio utilem.*

Solvuntur objecta ex Scripturis.

Obj. 1°. Veteris Testamenti Prophetæ Reges instituerunt et deposuerunt: Samuel, v. g. Saulem unctione Regem consecravit, et postea Regno spoliavit uniendo Davidem. Ahas Silonites jus in decem Tribus Jeroboamo dedit. (Lib. 3. Reg. cap. 19.) Quidni ergo eadem autoritate pollerent Novi Testamenti Pastores?

Resp. Ad rem non pertinere ista exempla: Samuel enim Sauli Regnum nec dedit, nec abstulit; sed ipsi tantum Dei jussu et nomine declaravit, eum à Deo Regem esse constitutum, et deinde rejectum ac reprobatum. (Lib. 1. Reg. cap. 15.) Pariter Ahas Silonites Jeroboamo tantum prædixit fore ut supra decem Tribus aliquandò regnaret. Ut ita sese gererent, divino spiritu afflati erant illi Prophetæ, nec propriam et ordinariam sibi auctoritatem arrogabant, qualem Romano Pontifici attribuunt adversarii.

Obj. 2°. Summus Pontifex Joiada Reginam Athaliam militibus occidi jussit, et Joath adhuc puerum supra solium collocavit; (Lib. Paralip. cap. 23.) Cur ergo Romanus Pontifex eam non sibi vindicaret potestatem temporalem, quam in Veteri Testamento exercuit Summus Pontifex?

Resp. Imperium per vim et scelus immanemque Regiæ sobolis interfectionem invaserat Athalia, nec legitima fieri potuit ipsius dignitas, quandiu superstes erat genuinus Regni heres: at vivebat Regis Ochosiæ filius Joas ad quem pertinebat Imperium, et qui à generali stirpis Regiæ interfectione liberatus fuerat. Propter tyrannicam hanc usurpationem, non solo Joiadæ jussu, sed totius

populi consensu interempta fuit Athalia. Præterea quâ fronte ausus est Bellarminus argumentum adhibere, undè sequeretur licitum esse Reges non solum deponere, sed etiam occidere? detestabile illud consecrarium horrent aures Christianæ, nec admittit Bellarminus.

Obj. 3°. Regis nomine in Scripturis frequenter designatur Christus; *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* (Psal. 2. 6.) *Regnabit in domo Jacob in æternum, et Regni ejus non erit finis.* (Luc. 1. v. 32 et 33.) Ergo Romani Pontifices, utpotè Christi Vicarii, eandem habent dignitatem.

Resp. Hæc aliaque similia Scripturæ loca de spirituali Christi Regno esse intelligenda. 1°. Enim objectis Psalmi 2. verbis statim subnectuntur ista, *prædicans præceptum ejus*, quæ ministerium spirituale designant. 2°. Hæc Evangelistæ verba, *et Regni ejus non erit finis*, Regnum spirituale demonstrant, quod solum erit æternum, nullumque finem est habiturum. Deniquè testatur ipse Christus ut supra diximus, nullam se, quatenus hominem, accepisse in res civiles et temporales auctoritatem.

Obj. 4°. Sic habet Christus: *Data est mihi omnis potestas in celo et in terra.* (Matth. 28. 18.) Atqui Petro, ac proinde ipsius successoribus, eam Christus potestatem concessit, quam à Patre acceperat, ut sic asserit: *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos;* (Joan. 20. 21.) ergo, tum Petro, tum ipsius successoribus, quamcumque potestatem, ac proinde temporalem, concessit Christus.

Resp. Dist. maj. Christo, tanquam capiti Ecclesiæ, data est omnis potestas in ordine spiritualis ministerii, conc. maj. in ordine dominationis civilis, neg. maj.

Porrò Christus, ut caput Ecclesiæ, eam non habuit potestatem, quam testatur se non habuisse: atqui Christus testatur se nullam in Regum temporalia potestatem habuisse: siquidem ut jam dixi-

mus, profitetur suum Regnum non esse de hoc mundo, (Joan. 18. 36.) et terrenorum Principum legibus nunquam non obsequi voluit: præterea post objecta verba, *data est mihi omnis potestas*; statim ista subjungit, *euntes docete omnes gentes; baptisantes eos*: (Matth. 28. 19.) atqui hæc verba non aliam designant potestatem, quam spirituales, nempe Evangelium prædicandi, et Sacramenta conferendi. Deniquè si liceat ex prædicto Scripturæ loco concludere, Romano Pontifici concessam fuisse in Regum temporalia auctoritatem, eodem jure poterit inferri hanc singulis Episcopis datam esse; siquidem laudata Christi verba ad omnes Apostolos, quorum Episcopi sunt successores, pertinent: atqui negant adversarii, singulis Episcopis concessam fuisse auctoritatem, vel indirectam, in Principum temporalia; ergo idem de Romano Pontifice statuendum est.

Obj. 5°. Christus discipulos monet adesse tempus, quo vendenda sit tunica, et emendus gladius. (Luc. 22. 36.) Illis autem respondentibus, *Domine, ecce duo gladii hinc*; dixit Christus, *satis est*: atqui duo illi gladii duplicem Ecclesiæ potestatem, temporalem, scilicet et spirituales designant, ut asserit in famosa Bulla, *Unam sanctam*, Bonifacius VIII; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Ex allegoriis enim ad arbitrium confictis, nihil omnino concludi potest. Quis desperatam non dixerit causam, in cujus gratiam necesse est Scripturæ verba, in sensus alienos prorsus et peregrinos detorquere? Nemo est enim, nisi præjudiciis excæcatum habeat animum, qui non videat in laudato Scripturæ loco, nihil esse quod Apostolis et Romano Pontifici potestatem, vel temporalem, vel etiam spirituales tribuat. Christus scilicet suos discipulos præmonere voluit, eos proximo suæ mortis tempore, iis angustiis et periculis terroribusque exagitandos esse, in quibus versari solent qui tunicam vendunt, ut eman-

gladium, quo vitam tueri possint. Itaque eum responderunt Apostoli: *Domine, ecce duo gladii hic, mentem Christi non satis intellexerunt: non enim emendos esse gladios, sed imminens periculum significare voluit. An verisimile est Christum voluisse, ut Apostoli quos, tanquam agnos, misit inter lupos; quos jubet vexationibus non nisi clementer mansuetudinem opponere; quos increpat, eum postulant ut suos adversarios ignibus e caelo delapsis consumat; nunquid verisimile est, inquam, Christum sibi parum constantem voluisse, ut Apostoli stricto gladio dimicarent, suamque vitam aliorum morte defenderent? ergo, etc.*

*Solvuntur objecta ex Rationibus Theologicis.*

Obj. 1°. Omnis superior potest imperare inferiori: atqui Romanus Pontifex Principibus est superior, ratione scilicet potestatis spiritualis, quae temporali praestat; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Omnis superior potest imperare inferiori, in his in quibus est superior, conc. maj. in aliis rebus, neg. maj. dist. etiam min. Romanus Pontifex superior est Principibus in rebus spiritualibus, conc. min. in temporalibus, neg. min.

Itaque Romanus Pontifex Principibus Christianis superior quidem est in rebus merè spiritualibus; minimè verò in temporalibus. Principum enim autoritas temporalis, ut jam probavimus, ab ipso Deo suam ducit originem, ac proinde à nullo alio pendere potest: si enim ratione autoritatis spiritualis, quam habet Summus Pontifex, superior esset Principibus, in rebus temporalibus, eodem jure gauderent singuli Episcopi, imò et Pastores inferiores qui potestate spirituali instructi sunt: atqui tamen nolunt adversarii singulos Episcopos esse Principibus superiores in rebus temporalibus: idem ergo fateantur necesse est, de Romano Pontifice.

Inst. Potestati excellentiori subjicitur minus excellens: atqui potestas temporalis minus est excellens quàm spiritualis; ergo ipsi subjicitur.

Resp. Neg. maj. Ubi enim duae potestates diversi sunt generis, diversos habent fines, diversaque officia, minus praestans non subjicitur praestantiori, nec ab ea pendet: de potestatibus enim eodem modo judicandum est, ac de scientiis: atqui ubi duae scientiae circa res prorsus diversas versantur, ad finesque omninò dissimiles spectant, excellentiori non subjicitur minus excellens: quis enim, v. g. dixerit Theologiae, utpotè nobiliori, subjici, ab eaque pendere Medicinam vel Physicam? Porro utriusque potestatis, spiritualis et temporalis, diversi sunt fines, diversaque officia: spiritualis enim ad felicitatem aeternam spectat, suarumque legum infractores, non nisi poenis spiritualibus, quales sunt excommunicatio, Sacramentorum privatio, coercere valet ac plectere; potestas verò temporalis, siye politica, ex se non alium habet finem, quàm Reipublicae pacem, tranquillitatem, felicitatem temporalem, et adversus suarum legum violatores, poenis temporalibus tantum utitur, qualis est libertatis, bonorum, vel etiam vitae amissio; ergo, licet potestas spiritualis sit excellentior, non tamen ipsi obnoxia est potestas temporalis. Praeterea si potestas spiritualis, ob suam excellentiam, temporalem sibi subjectam habeat, cum non in solo Pontifice Romano resideat, sed in singulis etiam Episcopis et Pastoribus, dicendum erit ipsis subjacere, non secus ac Romano Pontifici, temporalem Principum autoritatem; quod tamen rejiciunt adversarii, et quidem meritò.

Obj. 2°. Respublica Christiana debet esse perfecta, sibi que ad suam finem consequendum sufficiens: atqui talis esse non potest, nisi in res Principum temporales potestatem habeat; alioquin possent Principes mali subditorum suorum saluti

nocere, eos ad hæresim pertrahendo; ergo, etc.  
 Resp. Dist. maj. Respublica Christiana debet, etc. eo sensu quod habeat quiddam necessarium est, ut possit homines ad salutem perducere, conc. maj. eo sensu quod omnia salutis impedimenta removere queat, neg. maj.

Equivoca est igitur major propositio, duplicemque admittit interpretationem: Respublica enim Christiana, vel ita perfecta, ad finemque suum sufficiens dici potest, ut quiddam hominum salutis nocet, submovere possit; vel eo sensu tantum: quod habeat quiddam necessarium est, ut per eam homines ad salutem pervenire queant. Priori sensu perfecta, ad finemque suum sufficiens non est Ecclesia, dum in terris peregrinatur: plurima sunt enim salutis impedimenta, quæ tollere nequit: non potest, v. g. peccatores obstinatos ad poenitentiam flectere; non potest infantibus in matrum utero morientibus succurrere; non potest omnes peccandi occasiones auferre; non potest Hæreses et Schismata, quibus tot animæ pereunt, impedire, etc. quæ omnia si posset, in summa pace et tranquillitate semper versaretur; sed patriæ est, non viæ, hæc felicitas. Posteriori autem sensu perfecta est Respublica Christiana, ad suumque finem sufficiens, licet nullam in Regum temporalia potestatem habeat; omni enim accepit à Deo potestatem spiritualem, quæ ipsi congruit ut homines ad salutem perducatur: nec ipsi desunt subsidia, quibus finem istum possit assequi, scilicet verbum Dei, Sacramenta, etc.

Præterea si Respublica Christiana finem suum, qui est populorum salus, non posset obtinere, quin ipsi concessa fuerit in Principum temporalia autoritas, eam sibi vindicare possent, non Romanus tantum Pontifex, sed omnes Episcopi, sed omnes Parochi: ad eum enim finem spectat spiritualis quam habent potestas, ut homines ad salutem æternam perducatur: atqui absurdum est sin-

gulis, tum Episcopis, tum Parochis, potestatem in Regum temporalia tribuere, illudque rejiciunt adversarii; ergo fateantur necesse est, Rempubicam Christianam sibi in ordine ad finem suum sufficere, licet nullam in Principum temporalia potestatem habeat.

Obj. 3<sup>o</sup>. cum Bellarmino: *Non licet Christianis tolerare Regem infidelem aut hæreticum, si ille conatus pertrahere subditos ad suam hæresim vel infidelitatem; at judicare an Rex pertrahat ad hæresim, necne, pertinet ad Pontificem, cui est commissa cura Religionis: ergo Pontificis est judicare Regem esse deponendum, vel non deponendum.* (Tom. 1. p. 506. lib. 5. de Sum. Pontif. cap. 7. n. 11.)

Resp. Neg. ant. Non licet quidem Principi ad infidelitatem vel hæresim pertrahenti consentire; Obedire enim oportet Deo magis quam hominibus; (Act. 5. 29.) sed necesse est eum tolerare, sive tanquam Regem agnoscere, revereri, ipsique in temporalibus obtemperare. A primis Ecclesiæ seculis, Principibus impiis, Imperatoribus scilicet Paganis, vel Christiani dogmatis desertoribus, Ecclesiamque immaniter vexantibus, Juliano, Constantio, Valenti, etc. inviolatam fidem servarunt Christiani: omnia potius extrema passi sunt, quam ab obsequio iis debito recederent; neque id dissentur adversarii: sed respondent illis Imperatoribus obtemperatum non fuisse, nisi quia Ecclesia nondum adulta, et viribus firmata, eos compescere non poterat.

Quid autem Christiano nomini magis contumeliosum, quam insinuare Apostolos, imò Christum ipsum, cum magnifica illa patientiæ et obedientiæ præcepta dederunt, temporibus tantum et necessitati servisse, ex Veterum monumentis constat Ecclesiæ non defuisse vires. Cujus rei testem habemus Tertullianum, Imperii Romani Principes sic alloquentem: *Vestra omnia implevimus; vobis*

*insulas, castella . . . . castra ipsa . . . . palatium, senatum, forum. Sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissetis . . . . qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam (Christianam) magis occidi liceret, quam occidere!* ( *Apolog. cap. 37 edit. Rigalt. 1675. p. 30.* )

Non ergo metu vel temporum conditione coacti, Imperatoribus fidem et obedientiam exhibuerunt Christiani; sed quia id postulat ordo à Deo constitutus; quia jubet religiosè supremam potestatem revereri, se autore institutam, sibi que soli obnoxiam; quæ profectò neque ab hominum arbitrio, neque à mutabili rerum conditione pendent, sed quovis tempore valitura sunt.

Obj. 4°. Ecclesia pœnas temporales injungit. Patres, v. g. Nicœni Arianos quosdam Episcopos exilio multârunt, pœnitentes etiam publicos jure matrimonii, magistratûs, militiæque gerendæ spoliabat Ecclesia: sed hujusmodi auctoritatem sibi vindicare non potuit, nisi ob potestatem à Christo in res temporales acceptam.

Resp. Ecclesiam ex auctoritate sibi propria pœnas temporales non injungere, nisi in foro interiori, et conscientias dirigendo, non verò coactionem externam adhibendo: quasdam autem si decernat in foro externo, viâque coactionis, licentiam hanc non habet, nisi à Principibus acceptam. Sic Imperatoris Constantini, non verò Concilii Nicœni auctoritate propria, in exilium pulsi sunt Ariani Episcopi, qui huic Synodo subscribere pertinaciter detrectarunt.

*Solvuntur objecta ex factis exemplisque historicis.*

Plurima congerunt adversarii facta, quibus confirmari suam opinionem existimant. Præcipua tantum soligere jubet brevitatis.

Obj. Itaque 1°. cum Bellarmino sancti Ambrosii

exemplum: Theodosium Imperatorem, ob eadem iniquam ipsius jussu Thessalonicae perpetrata, pœnâ multavit, eum ab ingressu Ecclesiae prohibendo; ergo cædis Thessalonicae causam judicavit, ac proinde in Regum temporalia potestatem exercuit.

Resp. Dist. conseq. Causam cædis Thessalonicae judicavit, tanquam judex spiritualis, ut pro modo delicti pœnam spiritualem injungeret, conc. tanquam judex politicus et sæcularis, qui pœnam temporalem decernit, neg.

Porrò non aliam sanctus Præsul Imperatori Theodosio pœnam imposuit, quam spiritualem, dum eum ab ingressu Ecclesiae prohibuit. De Imperio ipsi adimendo, de subditis ab obsequii lege solvendis nequidem cogitavit; ad mentem igitur et propositum Bellarmini nihil pertinet hujusmodi factum. Si quid valeat argumentum ex eo deductum, non Romano tantum Pontifici, verum etiam singulis Episcopis, qualis fuit Ambrosius, tribuenda erit in Principum res temporales auctoritas, quod à mente Bellarmini plurimum abest.

Obj. 2°. Episcopi Hispani in Concilio Toletano XII Regem Wambam deposuere, solique Hervigio parendum declararunt.

Resp. Concilium Toletanum Wambæ regiam dignitatem non abstulit, sed populum à fidelitatis juramento ipsi præstito liberum tantum declaravit. Scilicet Princeps ille, ut fatetur ipse Baronius ad annum 681. abdicato Regno, Hervigium designaverat suum successorem, in monasteriumque sese receperat; Hervigius autem jam ante Concilium, ut patet ex illius Synodi præfatione, Regnum obtinebat. Præterea si cujus momenti esset istud exemplum, probaret ipsos etiam Episcopos posse Reges suâ dignitate exuere; quod tamen negat Bellarminus.

Obj. 3°. Gregorius II. Leonem Isauricum Imperatorem, eò quòd sacras imagines confringeret,



multavit, ne ipsi ab Italia vectigalia solverentur prohibendo. Ita referunt Scriptores Græci Theophanes, Zonaras et Cedrenus.

Resp. Narrationem hanc meram esse fabulam. Quin potius alium Imperatorem elegissent exercitus, nisi obstitisset Gregorius, ut ita memorat Paulus Diaconus: *Omnes Ravennæ exercitus, vel Venetiarum, . . . . nisi eos prohibuisset Pontifex, Imperatorem super se constituere fuissent aggressi.* (Lib. 6 de gestis Longobardorum, cap. 49.) Idem refert Anastasius Bibliothecarius in vitis Pontificum (pag. 136. tom. 1. edit. Rom. 1731.) Ii verò scriptores sunt antiquiores Theophane, Zonara et aliis Græcis, qui primi hanc historiam confinxerunt in Romani Pontificis odium. Numquid autem ne solverentur tributa prohibuit, qui alios à Principis defectione revocavit?

Obj. 4°. Zacharias Summus Pontifex à Francorum Proceribus rogatus, Childericum propter ipsius socordiam deposuit, et Regnum in Pepinum Caroli Magni patrem transtulit.

Resp. 1°. In tanti momenti quæstione non decet argumentum ex historia saltem dubia et incerta deducere: atqui hujusmodi est quæ objicitur historia. Eam ut fabulosam rejicit eruditus *Le Cointe*.

2°. Etiam si constaret hujus historię veritas, nihil inde inferre potest Bellarminus, aut certè plusquam velit probat. Indè enim sequeretur Romanis Pontificibus etiam competere directam in Regum temporalia potestatem. E solio quippè dejicere juniores Principem annos 18 vix natum, qui Regnum hereditario jure obtinuerat: qui nihil adversus Religionem molitus, nulloque crimine incusatus fuerat; id profectò quid aliud est, quam directam Reges deponendi potestatem sibi arrogare? Hanc tamen Summis Pontificibus denegat Bellarminus.

Obj. 5°. Ineunte seculo IX, Leo III. Romanus Pontifex, Imperium Occidentale à Græcis ad Carolum Magnum transtulit.

Resp. Leo III. Carolum Magnum tanquam Imperatorem agnovit tantummodo: jam enim Carolus à 20 annis omnes Provincias, in quibus situm erat Imperium Occidentale, armis subegerat, et ipsam Romam illius Imperii sedem occupabat. Principis quidem capiti imperatoriam coronam imposuit Leo: sed mera est ceremonia ipsismet Episcopis usitata, dum Reges consecrant, quamvis profectò Imperia et Regna distribuendi jus non habeant. Eò igitur tota Leonis actio reducitur, ut Carolum qui, favente divinà providentiâ, Imperium suæ ditioni subjecerat, Imperatorem agnosceret, et quidem non solus, sicut innuit Bellarminus, sed universus etiã Populus Romanus. Quo in capite unanimes sunt omnes penè scriptores, qui factura illud memorarunt.

Obj. 6°. Concilium Compendiense an. 833, urgente Lothario in patrem rebellante, Ludovicum deposuit cognomine Pium, qui Carolo Magno in Imperio successerat.

Resp. A Synodo Compendiensi de adimendo Principi Regno non fuit pronunciatum. In illius enim Concilii actis legitur duntaxat Imperatorem penitentię publicæ addictum fuisse: nullum autem invenitur decretum, quo suâ dignitate spoliatus fuerit. Præterea quæcumque in Ludovicum ibi facta sunt, quibusdam tantum Episcopis tribui debent, qui *inaudito scelere*, ut ait Eginhardus, aut *diro facinore, seculis omnibus detestando*, ut ait Sirmundus in suis ad eam Synodum notis, filii in patrem rebellis partes sustinebant. Denique si quid valeat argumentum ex eo facto deductum, probabit ad Episcopos etiam pertinere Principes suo Regno exuendi potestatem: quod tamen à Bellarmini mente prorsus alienum est.

Obj. 7°. Desinente seculo XI, Philippum I, Galliarum Regem ob adulterium et incestum excommunicatione percussum Imperio exiit Urbanus II, quod jure factum fuisse Rex ipse confessus est.

ad Pontificem legatos mittendo qui coronam ipsi ablatam restitui postularent, ut patet ex epistola 46. Yvonis Carnutensis ad Urbanum II.

Resp. Ex omnibus historicis compertum est, Philippum I constanter tanquam Regem habitum fuisse. Quo nomine appellatur ab Yvone Carnutensi in prædicta epistola. Per coronam autem quam postulant Legati, intelligi supremæ potestatis symbolum, prorsus ineptum est; hic enim agitur de corona quam in festis solemnioribus regio capiti imponere consueverant Præsules. Quoddam erat honoris ecclesiastici genus, ab Episcopo Principi exhiberi solitum, quod erga Philippum anathemate percussum prohibuerat Romanus Pontifex.

Obj. 8<sup>o</sup>. Concilium generale Lateranense IV, (can. 3.) sic statuit: *Si Dominus temporalis, requisitus et monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hac hæretica feditate (Albigensium).... excommunicationis vinculo innodetur. Et si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc Summo Pontifici, ut ex tunc ipse Vassallos ab ejus fidelitate denunciaret absolutos, et terram exponat Catholicis occupandam,.... salvo jure Domini principalis,.... eadem nihilominus lege servatâ circa eos qui non habent Dominos principales; ergo Concilium generale, ac proindè Ecclesia, hanc Summo Pontifici tribuit potestatem, ut, datâ necessitate, Dominos temporales suis ditionibus, exuat ipsorumque subditos à fidelitatis juramento liberos faciat.*

Resp. Dist. conseq. Ex consensu Principum, conc. conseq. vi potestatis quam in Principum temporalia à Christo acceperit, neg. conseq.

1<sup>o</sup>. Itaque Canon ille de *Feudatariis* intelligitur; nam Synodus, postquam decrevit Vassallos Dominorum temporalium qui Hæreticos toleraverint, à fidelitatis sacramento absolvendos esse, et illorum Dominorum terras Catholicis tradidit occupandas, addit, *salvo jure Domini principalis*: quibus verbis

intelligere est, hic non agi de Regibus et supremis Principibus; et reverâ Canon laudatus præsertim petit *Raymondum*, Comitem Tolosanum, et *Raymondum Rogerium*, Comitem Fuxensem (*Comte de Foix*) qui pro defendendis Hæreticis Albigensibus, fœderati erant: atqui constat eos fuisse *feudatarios* tantum, et aliis, tanquam supremis Dominis, obnoxios.

2<sup>o</sup>. Concilium Lateranense eam Romano Pontifici potestatem non tribuit, ut hujusmodi *feudatarios* dominis suis ac ditionibus spoliaret, si sine consensu Principum supremorum, qui Concilio per Oratores suos aderant, et qui Canone illum necessarium esse intelligebant, ut Albigensium hæresis facilius extirparetur, et Tolosani Comitis, aliorumque procerum Hæreticis faventium coerceretur pertinacia; aderant autem Legati Frederici II Imperatoris, Regum Galliæ, Angliæ, Hungariæ, Arragoniæ, etc. qui Canonem Lateranensem non reclamârunt: atqui procul dubio reclamassent, si Principum suorum majestatem et jura læsa fuisse agnovissent. Eam igitur, de quâ in Canone quæstio est, potestatem Romano Pontifici non tribuit Concilium Lateranense, nisi consentientibus per suos Legatos Principibus. Præterea observandum est quæstionem de Romani Pontificis in Regum temporalia potestate discussam non fuisse in Concilio Lateranensi, adeoque nec definitam; ac proindè quod in laudato Canone legitur, vim non habet definitionis dogmaticæ.

Inst. Hæc in prædicto Canone leguntur: *Eadem nihilominus lege servatâ, quoad eos qui non habent Dominos principales*. Undè sic urgeri potest; Juret Concilium eos etiam rebus suis spoliari, qui non habent Dominos principales, id est, Reges ipsos et supremos Principes: atqui verisimile non est eos spontè in hoc consensisse: ergo talis consensus immeritò supponitur.

Resp. Neg. maj. Eorum enim nomine qui *Domi-*

nos principales non habent; minimè intelligendi sunt Reges ac Principes supremi; 1º. quia ex jurispræsentibus, Reges sub generali appellatione non involvuntur; sed, propter personæ dignitatem, specialis eorum mentio fieri debet, ut lex aliqua ad illos spectet: 2º. quia Fredericus II Imperator, in sua adversus Hæreticos Constitutione, data Paduæ, ann. 1225, ipsa Canonis Lateranensis verba transcripsit, et pronuntiat se Catholicis occupandam traditurum illius Domini terram, qui ab Ecclesia monitus, eam ab hæretica pravitate purgare neglexerit; Eadem lege, inquit, *servarà contra eos qui non habent Dominos principales*: atqui hoc nomine non potuit Imperator intelligere Reges et supremos Principes: qui cum à solo Deo pendeant, nequaquam verò ab Imperatore, non poterant ab eo suis ditionibus spoliari.

Per eos igitur qui *Dominos principales non habent*, designantur dominiorum franci allodii (de franc-aleu) possessores: quamvis enim ditiones habeant ab omni servitute liberæ, nec principales Dominos agnoscantratione prædii seu terræ, superiore tamen agnoscunt Dominum, cui ratione jurisdictionis subjiciuntur, ut vulgò docent Jurisconsulti. Cum autem hujusmodi possessores, si rem ab origine repetas, hanc ab omni servitute immunitatem non habeant, nisi ex beneficio Regis seu Domini supremi, decernere potuit Synodus, ex consensu Principum, tale privilegium ipsis adimendum esse, si concessâ sibi autoritate abuterentur, Hæreticorum patrocinium suscipiendo.

Obj. 9º. Concilium œcumenicum Constantiense, (Sess. 14.) statuit, ut *quæcumque persona.... à Concilio recesserit.... vel illud perturbaverit.... perpetuò sit infamis, omnique dignitate, honore, statu, officio et beneficio ecclesiasticis et secularibus, etiamsi imperialis et regalis.... existat, ipso jure privata*: Ex quibus patet sacram Synodum, tum Ec-

clesiæ, tum sibi potestatem tribuisse in Regum supremorumque Principum temporalia.

Resp. cum Natali Alexandro, (Hist. Eccles. sæcul. XV et XVI. p. 440.) adversus Reges aliosque supremos Principes in tanti momenti controversia, in qua de ipsorum statu et majestate agitur, nihil decerni potuisse, quæstione non discussâ, neque re in deliberationem missâ: atqui ita se gessisse Synodum Constantiensem certum est; ergo nihil adversus Reges supremosque Principes decrevit, quod eorum majestatem minuat, vel Ecclesiæ in temporalibus subjiciat; præfatum igitur decretum intelligendum est de Principibus feudatariis, et quibuscumque Dominis inferioribus, non de ipsis Regibus, nisi jure feudi Ecclesiæ sint obnoxii.

Et verò, nisi res ita sit, quis putet 1º. Imperatorem, aliosque supremos Principes, in tantum suæ dignitatis detrimentum consensisse, idque absque ulla concertatione? 2º. Cur declarasset Synodus (Sess. 15.) præter damnationem errorum Joannis Hus, ipsiusque ex ordine sacerdotali dejectionem, nihil adversus eum posse? Habuisset enim Synodus quod ulterius ageret, si Ecclesiæ autoritatem temporalem, ratione Hæreseos, obtineret: pœnas enim temporales in Joannem Hus decernere potuisset, non Curie sæculari decernendas reliquisset. 3º. Quomodo Theologi doctissimi, qui condendis decretis maximè allaborârunt, quales sunt Petrus de Alliaco et Gersonius, tantoperè fuerunt ab ea sententia alieni, quæ Romano Pontifici in Regum temporalia autoritatem tribuit? Cur illam opinionem vocat Gersonius *frivolam adulationem*? Ex his omnibus colligendum est objectum Concilii Constantiensis Canonem ad Reges nullo modo spectare, nisi jure feudi Ecclesiæ subditi sint. Eodem sensu explicari debent similia Concilii Basiliensis decreta.

## Observatio.

Quædam obtrudunt adversarii Romanorum Pontificum exempla, qui in Principum temporalia jus sibi vindicarunt, quorum estiam nonnulli Reges et Imperatores suâ dignitate exuere tentarunt: hujusmodi autem facta congerendo, nihil omninò proficiunt, nisi probent Summos Pontifices, ita se gerendo, autoritatis suæ limites non transiisse: quod ut assequerentur, hæcenus nequicquam desudarunt: jus enim quod in Regum temporalia sibi arrogare ausi sunt quidam Pontifices, nunquam juxta Scripturæ et Traditionis regulam, ut oportuisset, expensum fuit; nunquam ab universa Ecclesia definitum, et Papæ assertum: nunquam non reclamârunt Imperatores. Reges Episcopique plurimi; solâ igitur viâ faci hîc actum fuit, ex qua legitima possessio non potest inferri.

Qui primus omnium quotquot extiterunt Pontificum, contendere ausus est XI seculo Gregorius VII posse Reges claviam autoritate è solio dejecti, à totius retrò antiquitatis fide recessit. Cum enim jam ab initio non desuissent crimina, propter quæ Principes suâ dignitate exuendos esse docent adversarii, hæresis nimirum immanis Ecclesiæ vexatio; cur ergo nec populus Christianus, nec Episcopi, nec Summi Pontifices, de *indirecta* potestate nihil unquam cogitarunt? Cur oscitantes Pontifices à pessimis Imperatoribus Ecclesiam vastari, fidem violari patiebantur? cur jure suo non utebantur? cur urgente tam gravi necessitate, Reges deponendi non adhibuerunt potestatem, nisi quia eam à Christo sibi non concessam fuisse persuasurâ habebant?

## COROLLARIUM.

Ex his omnibus quæ de prædictâ veritate exposita sunt, sequitur non ipsi inhærendum; tan-

quam meræ opinioni, quam pro suo quisque arbitrio rejicere possit vel admittere, sed tanquam sententiæ verbo Dei, Patrum traditioni, Sanctorum exemplis consonæ et omninò retinendæ, ex qua maximè pendet Ecclesiæ Regnorumque tranquillitas. Utinam, depulsis tandem posteriorum sæculorum præjudiciis et nebulis, universalem in ea defendenda consensionem quamprimum efficiat omnipotens animorum dominator Deus!

## CAPUT V.

*Utrum Episcoporum Jurisdictio à Romano Pontifice immediatè derivetur.*

JURISDICTIONIS potestas spectari potest, vel quoad primam illius institutionem et *collationem*, vel quoad exercitii limitationem. Non diffitemur jurisdictionis potestatem, quoad exercitii circumscriptionem in singulis Pastoribus, à sola Ecclesiæ autoritate repetendam esse. Hæc quippè Ecclesiæ in varias Dioceses, quarum intra limites coërcetur Episcopus quisque, distributio, non à Christo qui singulos Apostolos in orbem univ. sum miserat, habet originem, sed à sapiente Ecclesiæ œconomia; tota igitur controversia circa primitivam jurisdictionis institutionem et *collationem* versatur. Hanc à Christo soli Romano Pontifici, à quos ceteros in Episcopos diffunditur, collatam volunt Theologi *ultramontani*, quibus alii meritò refragantur. Cum iis sit propositio.

## PROPOSITIO.

*Suam Episcopi à Christo Jurisdictionem, non à Romano Pontifice, immediatè habent.*

Probatur 1°. Apostolis successisse Episcopos ore